



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 56. Concilium Tridentinum a Venetis receptum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul XVI
A. C. 1564.

Principes, qui Religionis suæ studio erga hanc Synodum præeminebant, primus erat Sebastianus, qui Joanni tertio Avo suo in Lusitanæ Regno successerat: quamprimum enim hic Princeps confirmationis diploma receperat, mox Pontifici grates singulari affectu rependens summopere illius zelum deprædicabat, pollicitus, quod Synodi dignitatem, sedisque sacræ auctoritatem ardentè tueri, suisque subditis manifestum reddere velit, a se nihil magis cordi haberi, quam quod hujus Sacrosancti Concilii dogmata, ac disciplinæ decreta immota fide, ac integritate defenderentur.

§. LVI.

*Concilium Tridentinum a Venetis
receptum.*

*Fallav. c. 11.
n. 1. Et seq.* Inter primos quoque, qui hujus Concilii Decreta receperunt, erant Veneti, qui sub sacro solemni in Divi Marci Ecclesia cuncta hæc decreta promulgabant, cunctisque urbium Parochis injungebant, ut illa exacte in usum deduci curarent: in hujus autem tam prompti obsequii præmium summus Pontifex Venetæ Reipublicæ Oratoribus Romæ agentibus dono dedit magnificentum illud Palatium, quod Paulus II, qui huic Reipublicæ olim subjectus erat,

erat, prope Ecclesiam Divi Marci singularis Venetorum Patroni construi jufferat. Insuper idem Pius IV. præter hoc donum diploma concessit, in quo Senatum amplis laudibus deprædicabat, ac verbis omnino gravibus illorum submissionem erga sacram Sedem extollebat.

§. LVII.

Regis Hispaniæ consultatio de modo hoc Concilium recipiendi.

Verum non adeo prompte hoc Concilium in aliis Regnis acceptabatur, quippe Hispaniæ Rex, cum præter suam voluntatem Synodum fuisse absolutam ægre ferret, præprimis se præsentem Episcopos, Clerique sui Procuratores convocare constituit, ut de modo hæc decreta exequendi deliberaretur, unde cuncta, quæ toto currente Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto in Hispania circa Synodi decreta fuere sancita, Regii Concilii jussu fuere effectui data. Ablegabatur insuper Philippus II. suos Deputatos ad diversas, omnesque Synodos, quæ Toleti, Hispali, Salmanticæ, & Cæsar-Augustæ eo ex fine habebantur, ut ea, quæ in rem essent, proponerentur, simulque de iis, quæ hac in occasione consultiora viderentur, deliberaretur. Denique Rex in
sua

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

Spond. hoc
ann. n. 4.
Sarp. hist.
Conc. l. 8.
p. 764.